

functi machinatus est Corrad., in *Prax. Dispensat.* lib. VIII, cap. ix; Justis, de *Dispensat.* lib. II, cap. xvi, a num. 60. et alii communiter. Arg. can. *Si quis vivente*. 3. cau. 31. q. 1. ubi ita criminosi « sine ulla spe conjugii perpetuo manere jubentur, si machinatio probata fuerit; » quod teste Corrado exacte observat curia romana. Et merito: ne aliis detur ansa machinandi in mortem.

139. *Bene vero pro interno, quamvis non nisi difficillime.* — Resp. II. Si impedimentum criminis, machinatione alterius qualificatum, est occultum, dispensatur quidem super eodem pro foro interno in poenitentia, tamen non nisi difficillime, et urgentissima de causa. Justis, loc. cit., num. 65; Corrad., cit., lib. VIII, cap. ix, et alii. Imponitur etiam ita dispensatis gravis poenitentia, de qua vide citatos doctores.

140. *Si machinatio in mortem abest, dispensat ex causa rationabili.* — Resp. III. Super criminis impedimento nullam machinationem secum habente dispensatur pro utroque foro ex causa rationabili, v. g. si oratrix diffamata et innupta maneret, et scandala verosimiliter orirentur, nisi matrimonium inter eos sequatur. Corrad. loc. cit.; Justis, de *Dispensat.*, lib. II, cap. xvi, num. 71. Præcipue vero si matrimonium jam est contractum. Ratio est; quia, si machinatio revere abest, impedimentum criminis inter difficilia dispensatu non reputatur; uti inde quoque colligitur, quod etiam episcopis super illo dispensandi specialis facultas concedi soleat, ut patet ex dictis num. 22.

141. *Super impedimento ordinis, et voti solemnem, seu professionis religiosæ Papa difficillime et non nisi ob causam publicam dispensat.* — Quæritur VIII. Cum quibus? et ex qua causa pontifex dispensare soleat super impedimento ordinis, et voti solemnem, professionis nempe religiosæ? (de quo tit. VI.) Resp. I. quamvis Papa possit dispensare super impedimento ordinis aut professionis religiosæ, ita ut subdiaconus, diaconus, sacerdos, episcopus, cardinalis, necnon religiosus, vel etiam monialis professi possint licite et valide contrahere matrimonium, tamen id facere non solent sine causa utilitatis publicæ. Sanch., lib. VIII, disp. 8, num. 2 et 8. Cajetan. Cathar. Medin. Valent. et Justis, de *Dispensat.* lib. III, cap. 1, num. 107; Corrad. in *Praxi Dispensat.* lib. VIII, cap. x, n. 29. Causas hujusmodi aliquas adducit Gratian. *Discept. forens.*, cap. CDLVII, usque

ad n. 22 et alii. Veluti si matrimonium sacris initiati, vel religiosi necessarium est, vel plurimum servit. I. Pro conservatione alicujus regni, casu, quo v. g. solus religiosus aliquis, vel sacerdos, aut episcopus hæres existeret. Vel II. Pro conversione regni, aut provinciæ ad fidem, vel conservatione illius in fide. Vel III. Pro extinguendo, vel avertendo magno bello, seu pro acquirenda vel conservanda pace regni, aut provinciæ. Vel IV. Pro conservatione familiæ valde nobilis, ne absque hærede deficiat, quia conservatio Nobilium familiarum etiam pro bono communi servit juxta dicta num. 70. Patetque multiplici experientia, qua constat, quod varii pontifices ob has et similes causas communis utilitatis sæpe jam dispensarint etiam cum episcopis, cardinalibus, religiosis, monialibus, uti videre est apud Corrad. loc. cit. nu. 28. et alios, recentissimum exemplum dispensationis pro conservanda illustri familia adduximus etiam supra tit. VI, *Qui clerici, vel voventes*, nu. 16. rationem et majorem discussionem hujus qui desiderat, videat apud Sanch., cit. lib. VIII, *Matrim.*, cap. VIII, ubi specialiter etiam demonstrat, quod, etsi valide, tamen licite non possit dispensare papa super impedimento ordinis, vel professionis religiosæ sine causa publicæ utilitatis.

142. *Bene vero super votis simplicibus: et quibus ex causis? Remissive.* — Resp. II. Super voto simplici servandi castitatem, vel ingrediendi religionem (quod est tantum impediens impedimentum) non requiritur causa communis utilitatis, sed potest, et solet Papa dispensare ex aliis causis etiam privatis, de quibus vide lib. III, tit. XXXIV, *de Voto et Vat. Redempt.*, a num. 22.

143. *Non quævis causa, ob quam Papa dispensare solet, sufficit ad hoc, ut episcopi jure ordinario dispensare valeant pro foro interno super impedimento occulto.* — Quæritur IX. Utrum eadem causæ, ob quas juxta hæcenus dicta a num. 69. dispensare potest, et solet papa, sufficiant, quod super impedimentis matrimonii possint etiam dispensare episcopi, vel alii in casibus, in quibus dispensandi potestatem privilegio, vel ex speciali facultate, vel jure ordinario habent? Resp. I. In casibus, in quibus episcopus jure ordinario dispensare potest super impedimento occulto pro solo foro interno juxta dicta a num. 15. non sufficit quævis ex dictis causis, sed omnino requiritur magna, seu

gravis, simulque urgens causa, vel necessitas. Ita communis. Patetque conclusio ex dictis num. 15 et 68.

144. *Bene vero sufficit ad dispensandum ex privilegio, vel speciali facultate.* — Resp. II. In casibus, in quibus super impedimento matrimonii dirimente dispensare possunt episcopi, vel alii ex speciali facultate, vel privilegio, requiruntur, et sufficiunt eadem causæ, ob quas potest, et solet dispensare papa. Rursus communis. Ratio patet: quia hoc ipso, quod alicui per privilegium vel specialem facultatem communicet super certis impedimentis dispensandi potestatem, quam ipse habet, præsumitur velle, ut ea uti possit ex omni, et sola causa, ob quam ipse dispensare potest, ac solet. Nec juste præsumi potest concedere dispensandi potestatem ex causa, ex qua ipse dispensare non solet, utpote eam insufficientem agnoscens.

145. *Enumerantur impedimenta, super quibus episcopi vi specialis facultatis dispensare valent ex quavis causa rationabili.* — Inferitur, quod episcopi Germaniæ ex quavis causa ex allegatis a num. 69 dispensare possint cum quovis paupere. I. Super tertio et quarto simplici et mixto consanguinitatis, et affinitatis. II. Cum quovis etiam non paupere super impedimento publicæ honestatis. III. Cum quovis super impedimento criminis, neutro conjugum machinante in mortem conjugis. IV. Super impedimento cognationis spiritualis, præter levantem, et levatum. Ratio est; quia super his vigore specialis facultatis dispensare valent, ut patet ex copia facultatum allegata supra num. 22. Ubi sola facultas dispensandi super tertio et quarto restringitur ad pauperes; et reliquæ vero facultates universaliter conceduntur, consequenter etiam universaliter de quavis persona sunt intelligendæ: tum quia potestas, seu facultas dispensandi generaliter concessa (non item specialiter delegata) tanquam favorabilis, et late interpretanda est, uti cum communissima et quasi certa aliorum bene docet et probat Sanchez lib. VIII, disp. 2, num. 4; Pontius, de *Matrim.*, lib. VIII, cap. IV, num. 13; Sperell., *Decision.* 112, num. 16; Justis, lib. I, cap. II, num. 1, et teste Sanchez, omnes, arg. e. *olim de Verb. signif.* et l. *Beneficium ff. de Constit. Princip.* Tum quia universim « verba generalia generaliter sunt intelligenda » c. *Quia circa*, 22. *de Privilegio.*

146. *Quandonam, et quomodo verificari debeant causæ dispensandi: item quid, si pluribus allegatis non omnes verificantur? Remissive.* — Quæritur X. Quandonam debeant verificari causæ? Item quid juris, si plures allegantur, et una tantum, vel non omnes verificantur? Resp. Ad hoc quæsitum patere infra § 5.

§ IV.

DE HIS, QUÆ NECESSARIO EXPRIMI DEBENT IN SUPPLICATIONE, NE DISPENSATIO SUB VEL OBREPTEITIA, CONSEQUENTER INVALIDA SIT.

147. *Ratio continuationis.* — Examinata potestate dispensandi, visisque causis ad dispensandum requisitis, merito progredimur nunc magis ad praxin et modum procurandi dispensationem, indagando imprimis, quænam necessario exprimi debeant in supplicatione, ne dispensatio sub vel obreptitia, aut alias defectuosa censeatur.

148. *Sub et obreptio, quid? Remissive.* — Supponitur autem ex lib. I, tit. III, *de Rescriptis* § 7 et 8, quid sit subreptio, et obreptio, ac quando universim committantur in impetrandis rescriptis, præsertim apostolicis v. g., dispensatione: Ubi in specie dictum, et ex jure probatum habetur, eam dupliciter fieri, videlicet, vel exprimendo in supplicatione falsum, vel omittingo verum, quod de jure vel stylo curiæ exprimendum est. De posteriori seu de expressione falsi agemus § sequenti; de priori vero, seu de expressione veri in præsentem. Itaque:

149. *Ad evitandam sub et obreptionem dispensationis, necessario in supplicatione sunt exprimenda, quæ de jure, vel stylo curiæ exprimi debent. Si aliquid eorum etiam ignoranter omittitur, dispensatio subreptitia est, etsi illo expresso Papa dispensasset: non item si tantum omittitur aliquid, quo expresso Papa difficiliter dispensasset.* — Quæritur I. In genere, quænam observari, et necessario exprimi debeant in supplicatione pro impetrandis quacunque dispensatione matrimoniali, ne sub vel obreptitia censeatur, aut omnino denegetur, vel defectuosa reputetur, sive apud pontificem, sive apud episcopum, vel nuntium, sive in foro interno, sive externo fiat instantia? Resp. I. super quocunque impedimento petatur dispensatio, omnia ea, quæ de jure, vel de stylo curiæ sunt exprimenda, necessario exprimi debent; adeo,

ut si aliquid eorum etiam ignoranter omittetur. Dispensatio sub vel obreptitia, consequenter invalida foret, etsi illo expresso papa dispensasset. Sanchez, lib. VIII, disp. XXI, a num. 13; Justis, *de Dispens.*, lib. I, cap. IV, num. 4 et 18, cum communi aliorum contra nonnullos, volentes, valere dispensationem, etsi omittantur aliqua de jure, vel stylo curiæ exprimenda, si illis expressis papa nihilominus dispensasset. Conclusio autem nostra patet ex dictis lib. I, tit. III, *de Rescript.*, § 7, a num. 166, usque ad num. 167, inclusive, ubi etiam invenies, quod omissio eorum, quæ de jure, vel stylo exprimenda non sunt, rescriptum, dispensationem v. g. minime vitient, si illis expressis papa nihilominus, etsi difficilius dispensasset: quod, dum cum communi aliorum etiam docet Justis loc. cit. a num. 10, bene addit, num. 12, quod, si omnia ea, quæ quidem de jure, vel stylo necessario non sunt exprimenda, dispensationem tamen difficiliorem reddunt, exprimi deberent, vix ulla dispensatio esset tuta.

150. *Super quocunque impedimento petatur dispensatio, necessario debet exprimi I. ipsum impedimentum in sua specie.* — Resp. II. De jure, et stylo curiæ sunt aliqua, quæ semper observari, et exprimi debent, super quocunque tandem impedimento petatur dispensatio. Patet inductione. Num. I. necesse est, ut impedimentum, super quo petitur dispensatio, rite ac in sua specie proponatur; nam si unum pro alio v. g., affinitas pro consanguinitate, vel e contra exprimitur, dispensatio juxta communem nulla est. Ratio clara est; quia licet potestas dispensandi favorabilis sit, et consequenter late interpretanda juxta num. 145, tamen ipsa dispensatio utpote a jure exorbitans, et vulnus juris faciens stricte interpretari, et consequenter, ultra expressa extendi, et intelligi non debet. Sanchez, lib. VIII, disp. 1, num. 3; Justis *de Dispensat.*, lib. I, cap. II, num. 2; Pirrh. Corrad. *in prax. Dispensat.*, lib. I, cap. v; Pontius, *de Matrim.*, lib. VIII, cap. XXI, num. 2, cum communi, arg. c. 1, *de Filiis Presbyt.*, in 6, cum concord. Neque valeret, etsi impedimentum expressum majus esset illo, quod exprimi debuisset, v. g., si exprimeretur consanguinitas loco affinitatis. Ratio est, quod, licet alias valeat argumentum a majori ad minus arg. c. *Cum licet, de Reg. jur.* in 6, et *L. Jurisgentium, Adeo ff. de Pact.* tamen hoc non procedit

in dispensatione, Corrad., loc. cit., num. 3, cum communi; Joan. Andreas in c. *Ea quæ de Reg. jur.* in 6 arg. c. fin. *de Translat. Episc.* et c. *Cui de non sacerdotali de Præb.*, in 6.

Cæterum quomodo quodvis impedimentum in praxi rite proponi debet, dicitur § seq. a num. 267.

151. *II. Si plura sunt impedimenta, debent omnia exprimi.* — II. Si oratores plura impedimenta habent, v. g. si nubere volentes sunt simul consanguinei, et affines, vel duplici vinculo consanguinitatis conjuncti, aut laborent simul impedimento criminis, et publicæ honestatis, vel cognationis spiritualis, debent omnia fideliter exprimi, Justis, *de Dispensat.*, lib. I, cap. IV, a num. 96; Sanchez, lib. VII, disp. 24, num. 1, illoque teste omnes. Ratio patet ex dictis; quia dispensatio utpote a jure exorbitans ultra expressa non extenditur per jura num. præced., citata; consequenter, si aliquid impedimentum omittitur, dispensatione non tollitur, sed adhuc manet, et obstat; nam papa non censetur velle sanare defectum, quem ignorat. arg. c. *Si eo tempore*, 9, *de Rescript.*, in 6.

152. *III. Et quidem in una, eademque supplicatione.* — III. Requiritur, ut omnia impedimenta, quæ obstant, in una, eademque supplicatione fideliter exprimantur. Sanchez, lib. VIII, disp. 23, num. 2; Justis, loc. cit., num. 87; Pontius, *de Matrim.*, cap. XVII, § 5, num. 25; Bosco, *de Matrim.*, disp. 12, sect. 13, concl. 11, et alii communiter contra Navarr. *Consanguinit. et Affinit. consil.* 1 et 4, et nonnullos alios volentes sufficere, si successive in pluribus supplicationibus proponantur. Ratio autem nostræ doctrinæ est; quia papa concedens dispensationem secundum allegata, censetur semper dispensare, sub tacita conditione, si aliud non obstat, arg. c. 1, *De ætat. et qualit. ordinand.* in 6. Atqui in proposito obstat aliud impedimentum, de quo nulla facta est mentio: ergo. Confirmatur ex stylo curiæ, ut post alios testatur Justis, loc. cit., num. 89, stylus enim curiæ facit jus, et stat pro lege, præsertim in dispensatione matrimoniali juxta dicta num. 149.

153. *Nisi forsitan unum impedimentum esset occultum, et alterum publicum: quid juris, tunc?* — Sed quæris, quid juris? si contingat unum impedimentum esse publicum, et alterum occultum v. g. affinitatem ex forni-

catione, et consanguinitatem publicam. Respondetur, tunc debere publicum impedimentum proponi in dataria, vel cancellaria ad impetrandam dispensationem pro foro externo, utrumque autem tam publicum videlicet, quam occultum in pœnitentiaria pro foro interno, non quod hæc etiam super impedimento publica dispenses, sed quia, si duplex obstat impedimentum, difficilius dispenses pœnitentiaria etiam super solo occulto. Sanchez, lib. VIII, disp. 23, num. 7, pro hoc allegans declarationem cardinalium. Justis, *de Dispens.*, lib. I, cap. IV, a num. 103. Ubi testatur etiam de praxi et stylo curiæ Ponti. et alii communiter. Nec refert, sive prius in pœnitentiaria pro foro interno, sive in dataria pro foro externo petatur dispensatio; doctores citati, quod idem declaravit Sacra Congregatio.

154. *Non est necessario exprimendum quod dispensatio super eodem impedimento jam semel petita et denegata fuerit.* — Præter hæc necessario vult Menoch. *de Arbitr.* casu 203, num. 6, etiam exprimendum esse in quavis supplicatione, si dispensatio super eodem impedimento jam semel petita, sed denegata fuit. Verum id necessarium esse rectius negat Sanchez, lib. VIII, disp. 22, n. 14; Pontius, lib. VIII, cap. XVII, nu. 3. Diana, Suarez, et alii. Ratio est; quia nec jure, nec stylo curiæ requiritur. Neque valet ratio a Menoch. in contrarium allegata, videlicet, quasi dispensatio secundo petita semper denegatur, si mentio fit, eam jam semel denegatam fuisse. Nam contra est, quod facile contingere possit, ut in secunda petitione graviore cause, et rationes, quam in priori, vel alio, et efficaciori modo proponantur, indeque Papam moveant ad dispensandum super impedimento super quo prius non dispensavit.

155. *IV. Si copula allegatur pro causa, quæ habita est sub spe facilius impetrandæ dispensationis, debet hoc exprimi.* — IV. Si copula allegatur pro causa dispensandi super aliquo impedimento, debet exprimi, an sub spe facilius obtinendi dispensationem fuerit habita, vel non. Justis, *de Dispensat.* lib. I, cap. IV, nu. 266; Sanchez, lib. VIII, disp. 25, nu. 38; Gutierrez, lib. I, canon. quæst. cap. XV, nu. 20; Gobath, in *Theolog. experiment.*, tract. IX, nu. 626, eoque teste omnes. Ratio est; quia est notorius stylus curiæ. Et merito, ne quis ex fraude, et dolo facile reportet commodum contra c. *Si vir, de Cognat. spirit.* et c. 1, *de o, qui duxit, cum Concord.*

156. *Etsi una pars tantum habuerit hanc spem.* — Et licet plures, ut Gobath, loc. cit.; Portel, in *Respons. cas. moral.*, p. 3, casu, Diana et alii velint, non esse exprimendam hanc spem, si fuit tantum ex parte unius, vel si quidem ex parte utriusque, tamen unus alteri non manifestavit; tamen in praxi contrarium est tenendum, ut bene advertit Corrad., lib. VIII, cap. I, nu. 18, allegans inveteratum stylum curiæ, simulque addens, præfatos et alios doctores contrarium asserentes toto cœlo aberrare.

157. *V. Si dispensatio petitur post contractum matrimonium debet exprimi, an sit contractum bona vel mala fide.* — V. Si dispensatio petitur post matrimonium actu jam, sed invalide contractum, debet fideliter exprimi primo, an illud bona vel mala fide contraxerint, scientes versari inter illos impedimentum. Communis et certa. Idque ob rationes et jura in simili allegata supra num. 57 et seqq. ubi etiam num. 58, explicatum habetur, quandonam contrahentes dici possint, mala fide contraxisse.

158. *Etiam unius tantum.* — Et quamvis ad hoc, ut episcopus pro foro conscientie dispensare valeat, bona fides unius sufficiat ob jura, et rationes, atque doctores nu. 59. allegatos; nihilominus quando dispensatio petitur in curia romana, securius est, et pro praxi omnino consulitur, ut si saltem una pars fuit conscia impedimenti, casus fideliter proponatur, prout se habet a parte rei, sive dein pro foro externo, sive interno petatur dispensatio, eo quod plures doctores etiam practici, ut Justis, lib. III, cap. XVI, nu. 15; Navarr., *Consil. de Consang. Genuens.*, in *Praxi Cur. Archiep.*, cap. XX, nu. 7; Corrad., lib. I, cap. VIII, nu. 9, allegans notorium stylum, velint necessario esse exprimendum, si una pars conscia fuit impedimenti, et consequenter mala fide contraxit. Imo consulitur etiam pro praxi, ut si una pars saltem conscia fuit impedimenti occulti, non apud episcopum, sed pœnitentiariam petatur pro foro conscientie dispensatio, allegando ibidem fideliter casum. Ratio est; quia, quando agitur de valore sacramenti, securior via suadenda est.

159. *Item an sub spe facilius impetrandi dispensationem.* — Ulterius requiritur, ut exprimatur, si matrimonium fuit contractum sub spe facilius impetrandi dispensationem. Sanchez, lib. VIII, disp. 25, nu. 22; Gutierrez, lib. II, can. cap. XV, num. penult. cum

communi aliorum ob notorium stylum curiæ, ac rationes et jura infra in simili allegata num. 55 et 56, de copula habita sub spe facilius consequendi dispensationem. Ubi etiam applicata dicta, ibidem in casu, quo una tantum pars sub spe facilius consequendi dispensationem contraxit matrimonium.

160. *Et an etiam consummaverint?* — Insuper requiritur, ut exprimat, si matrimonium mala fide contractum etiam consummarint. Omnes ob textum, concilii num. 57, allegatum, juxta *Clement. Eos, qui de Consangu. et Affinit.* ac speciali constit. *Clement. V.* apud Corrad. lib. VIII, cap. iv, num. 4. Idque intellige, etsi una tantum pars fuerit conscia impedimenti, per dicta num. 56 et 58.

161. *Item an in facie Ecclesie præmissis denuntiationibus?* — Quod, si ambo cum ignorantia impedimenti, consequenter bona fide contraxerunt quidem, sed clandestine, vel sine præmissis denuntiationibus, hoc quoque necessario exprimendum erit. Omnes. Cum et istos dispensationis gratia carere velit concil. Trident., sess. 24, de *Reform. matrim.*, cap. v, eum textum vide supra num. 60, quo tamen concilium, vel pontifex nec vult, nec potest ligare manus pontificum successorum, quin possint, si velint, ac etiam soleant (casu fideliter expresso et existente legitima causa) etsi difficilius dispensare; ut bene advertit Corrad., lib. VIII, cap. iii, nu. 6, cum Papa sit supra concilium, « et par in parem non habeat imperium, » c. *Innotuit de Elect.* cum concord.

162. *Quæ procedunt de quocunque impedimento.* — Cæterum quæ hactenus de necessario exprimendis dicta sunt, casu quo petitur dispensatio post jam contractum matrimonium, intelligi debent non tantum de contrahentibus consanguineis, vel affinis, sed etiam quocunque alio impedimento dirimente ligatis, ut egregie ex jure demonstrant, et solutis argumentis contrariis efficaciter confirmant per specialem constitutionem Clementis V Pirhing. Corrad. in *Praxi Dispensat.*, lib. VIII, cap. iii, a num. 1.

163. *Quando petitur dispensatio super impedimento consanguinitatis, debet exprimi. I. Gradus in specie; quamvis si exprimeretur secundus pro tertio non vitaretur dispensatio.* — Queritur II. Quænam necessario exprimi debeant, quando petitur dispensatio super

impedimento consanguinitatis? Resp. I. Debet fideliter exprimi gradus, quo conjuncti sunt oratores, an videlicet in linea recta, vel transversali, in secundo, vel tertio, vel quarto, etc. Sanchez, lib. VIII, disp. 24, n. 2, eoque teste omnes. Ratio est; quia difficilior est dispensatio in propinquiori, quam remotiori gradu. Accedit stylus curiæ ad præsens pro lege observandus. Hinc subreptitia et invalida censetur dispensatio, si gradu non expresso, tantum in genere dicerent oratores, illos esse consanguineos.

164. Illud tamen hic notandum, quod, si oratores exprimant gradum propinquorem loco remotioris, dicentes v. g. se esse in tertio, cum sint in quarto, dispensatio non vitietur. Justis, lib. I, cap. iv, num. 131, et magis dicitur infra num. 215.

165. *II. Pluralitas consanguinitatis. Et quidem in una eademque supplicatione.* — II. Debet exprimi, si duplici consanguinitatis vinculo sunt conjuncti, et multo magis si plura diversæ rationis habent impedimenta. Et quidem in eadem supplicatione juxta dicta num. 131 et 152.

166. *III. Debet exprimi gradus etiam propinquus, si oratores inæqualiter distant.* — III. Si consanguinei inæqualiter distant a communi stipite v. g. unus in secundo, alter in tertio, vel unus in secundo vel tertio, et alter quarto, consequenter ambo sint in secundo, et tertio mixto, vel in secundo, vel tertio et quarto, debet non tantum exprimi gradus remotior, sed etiam propinquior dicendo quod sint v. g., in secundo et tertio; idque non ideo, quasi super propinquiori necessaria etiam foret dispensatio, sed ut per speciale breve declaretur, proximiorum gradum non obstare. Ita namque expresso statuit Pius V, in *Constit.*, quæ incipit *Sanctissimus*, edita 26 augusti 1566, sequentis tenoris.

167. *Constitutio Pii V desuper.* — « Sanctissimus in Christo pater, et dominus noster D. Pius divina providentia Papa V, attendens per quamdam constitutionem dudum per fel. record. Pium Papam IV. Sanctitatis suæ prædecessorum editam, qua cavetur, quod in dispensationibus matrimonialibus pro diversis consanguinitatis, seu affinitatis ex eodem stipite provenientibus gradibus conjunctis, non remotioris solum, prout olim fieri solebat, sed etiam propinquioris gradum expressa mentio fieri debeat, alioquin dispensationes, ac desuper confectæ litteræ

nullius sint roboris, vel momenti, prout in dicta constitutione plenius continetur, a dispositione juris communis, et laudabili ac antiquo romanæ curiæ stylo nimium recedi, ac favorem matrimonii debitum restringi, volensque propterea juri, et stylo prædictis, necnon piæ mem. Gregorii X et Clementis VI, romanorum pontificum, etiam sanctitatis suæ prædecessorum vestigiis inhærendo, sacramento, et libertati matrimonii, quantum cum Deo potest, favere, statuit, et ordinavit, quod de cætero in quibuscunque dispensationibus, quas pro matrimoniis contractis, aut contrahendis inter viros et mulieres invicem diversis prohibitis consanguinitatis, seu affinitatis, aut mixti ex communi, seu ab eodem stipite surgentibus, quicunque illi sint, dummodo primum quoquo modo non attingant, cum in eo sanctitas sua nunquam dispensare intendat, gradibus conjunctos ab eadem sanctitate sua, et pro tempore romano pontifice, aut sede apostol. impetrari, vel alias concepti contigerit, ac litteris, commissionibusque desuper etiam locorum ordinariis faciendis gradus remotior attendatur, trahatque secum propinquiorum, ac ob id sufficiat remotiorum tantum gradum exprimere; obtentis tamen postea super propinquiore litteris declaratoriis, juxta Gregorii, et Clementis prædecess. hujusmodi constitutiones, quas quoad hoc innovavit, et inviolabiliter observari mandavit, dispensationesque, seu dispensandi commissiones, ac desuper confectas litteras, et processus habitos per easdem, dispensatis, seu his cum quibus, dispensari mandatur, propter proximioris gradus hujusmodi non expressionem, de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus, et per omnia suffragari perinde ac si in litteris, seu commissionibus hujusmodi de proximior, seu utroque gradu specialis, et expressa mentio facta fuisset. Sicque per quoscunque judices, et commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, ac quidquid secus super his a quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum et inane decrevit, constitutione Pii prædecessoris hujusmodi ne cæterisque contrariis non obstantibus quibuscunque. »

168. *Episcopus graviter peccat exequendo litteras dispensationis non expresso gradu pro-*

pinquo obtentas. — Ex hac constitutione infertur I. Episcopum, vel alium deputatum executorem licite non posse exequi dispensationis litteras, si deprehendit, oratores non expresso gradu propinquiori eas obtinuisse, nec habere litteras declaratorias. Corrad. in *Praxi Dispensat.*, lib. VII, cap. vii, n. 59; Sanchez, lib. VIII, disp. 24; Bonacina, tom. II, disp. 1, de *Leg.*, q. 2, punct. 5, n. 77; Henricus, de *Matrim.*, lib. II, cap. iii, n. 6; Filiucius et alii. Imo Corrad., loc. cit. docet, executorem mortaliter peccare, si in tali casu pro foro externo exequeretur dispensationis breve. Ratio est; quia in materia gravi transgredere legem pontificiam, quod graviter peccaminosum esse constat ex lib. I, tit. II, de *Constit.*

169. *Differre debet executionem, donec oratores impetrant litteras declaratorias perinde valere.* — Infertur II. Oratores, qui absque gradus proximioris expressione obtinuerunt dispensationem, pro litteris declaratoriis Romæ sollicitare, episcopum vero, donec illæ veniant, interea ab executione abstinere debere, quæ tamen litteræ declaratoriæ necessariæ non sunt, imo non dantur, si cum alio inæquali gradus prior conem. Ita ut oratores sint in primo, et secundo v. g. vel tertio gradu. Justis, lib. I, cap. iv, n. 172. Ratio est; quia in tali casu super utroque gradu fit dispensatio, debetque uterque gradus necessario exprimi, ut fiat declaratio, proximiorum non obstare, sed quia super utroque necessaria est dispensatio. Corrad., lib. VII, cap. vii, n. 71. Et hæc satis sunt certa.

170. *Juxta aliquos, episcopus vel alius delegatus saltem valide exequitur litteras dispensationis non expresso gradu propinquo obtentas.* — At vero maxima controversia est inter doctores. An non tantum illicita, sed etiam invalida sit dispensatio ab executore brevis apostolici facta, consequenter matrimonium nullum, si conjuncti in gradibus inæqualibus v. g. secundo, et tertio, vel tertio et quarto litteras dispensationis Roma impetrant super gradu remotiori, non facta mentione gradus proximioris, « nec habitis litteris declaratoriis gradum propinquiorum non obstare. » Sanchez siquidem, lib. VIII, de *Matrim.*, cap. xxi, a. nu. 29, absolute docet, dispensationem hujusmodi propterea non irritari, nec invalidam esse, adeoque executorem, episcopum v. g. valide exequi breve, valideque dispensare, licet ante executionem